

et cui vita jam deerat, victus abundantiam cogitabat. Contra autem Dominus perfectum et consummatum docet fieri qui, omnibus suis venditis, atque in usum pauperum distributis, thesaurum sibi condat in coelo. Eum dicit posse se sequi, et gloriam dominicae passionis imitari, qui expeditus et succinctus nullis laqueis rei familiaris involvitur, sed solutus ac liber facultates suas ad Deum ante praemissas, ipse quoque comitatur. Ad quod ut possit unusquisque nostrum parare se, sic discat orare, et de orationis lege qualis esse debeat noscere. Neque enim deesse quotidianus cibus potest justo, cum scriptum sit: Non occidet Dominus fame animam justam. Et iterum: Junior fui et senui, et non vidi justum derelictum, neque semen ejus quaerens panem. Item Dominus promittat et dicat: Nolite cogitare dicentes: quid edemus aut quid bibemus aut quid vesciemur? Haec enim nationes quaerunt. Scit autem Pater vester, quia horum omnium indigetis. Quaerite primo regnum Dei et justitiam ejus, et haec omnia apponentur vobis. Quaerentibus regnum et justitiam Dei, omnia promittit apponi. Nam cum Dei sint omnia, habenti Deum nihil deerit, si Deo ipse non desit. Sic Danieli in leonum lacu jussu regis incluso, prandium divinitus procuratur, et inter feras esurientes et parcentes, homo Dei pascitur. Sic alitur Helias in fuga, et in solitudine corvis ministrantibus, et volucribus cibum sibi apportantibus, in persecutione nutritur. Atque, o humanae malitia detestanda crudelitas: ferae parcunt, aves pascunt, et homines insidiantur et saeviunt. Post haec et pro peccatis nostris deprecamur dicentes: Et remitte nobis debita nostra, sicut et nos remittimus debitoribus nostris. Post subsidium cibi petitur et venia delicti; ut qui a Deo pascitur, in Deo vivat, nec tantum praesenti et temporali vitae, sed et aeternae consulatur; ad quam veniri potest, si peccata donentur: quae debita Dominus appellat, sicut in evangelio suo dicit: